

batur: quum Ducis interventu, qui ad suos obsidione levandos tacito agmine ex Candace moverat, hostis inde abire compulsus est, operibus bellicis haud paucis relictis. Et quia non tam facilis victoriæ cursus apparebat, quam insulani ab initio erant polliciti: videretque Vatazanæ classis præfectus, bellum in dies sibi & suis magis, quam Venetis fore laboriosum, constituit insula abire. Impositis itaque suis in naves, quas ex Lesbo duxerat, relicta Venetis Creta, repente in altum abiit. Ea classis postea quantacunque fuit, ad Cythera insulam fœdissima tempestate jactata, præter tria minora navigia, tota fluctibus absumpta est. Nicolaus Mutatius, & Marinus Marini cognominis, qui spe pacis legati in Græciam navigabant, & ipsi naufragio periere. Nicolaus Tonistus Dux, qui Joanni Storlato successit, & Bartholomæus Gradonicus, qui ejus successor fuit, aliquot oppida receperunt. Nicolaus Sevastus & Michael Melissinus, defectionis malorumque omnium capita, Gradonici ingenio in fidem & ipsi redierunt: datum illis quicquid soli est a Petræa fluvio ad Actim, his conditionibus, ut quotannis libras cæræ quingentas aureo Divi Marci fano inferrent, Veneto Duci laudes canerent, adversus rebelles assidue militarent, quoad in fidem rediissent. Qui autem ad eam diem Imperium non receperant, illi sane erant, qui sedes a Petræa ad Summonium promontorium accolunt. Moritur interim Gradonicus: morte cujus insulæ administratio a legatis suscepta est. Singulis Ducibus duo legati dabantur: quo nomine ea tempestate in insula erant Joannes Ardizonius & Marcus Molinus. Hic dum Sithiam maritimum oppidum obsideret, repente ex alto naves longæ duodecim conspectæ, quæ plenis velis in insulam proras verterant: eas Joannes Vatazus mittebat in eorum auxilium, qui a Venetis oppugnabantur. Molinus veritus, ne si classis in portum decurrisset, fretique novo præsidio oppidani subito eruptionem facerent, suorum paucitate resistere non posset, vel si forte Candacem classis cursum detorsisset, aliquo casu occuparet, soluta obsidione continuo cum omnibus copiis ad urbem